



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

An perfici prædictum sacri ficium ab excommunicato suspenso, vel
irregularis possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

An perfici sequenti die prædictum Sacrificium possit.

Vbi,

Vindictur Emanuel Sâ

6. Sed quæramus, quid fiet si nullus adsit, qui Missam perficere eodem die possit, adsit tamen, qui à loco distant vocatus die sequenti possit? Emanuel Sâ in genuina impressione v. Missa n. 38. sic de hac re dissertit, Quod si desit, qui Missam perficiat, sequenti die perficiatur aut sumatur ab alio Sacerdote, in alia Missa, Sâ Sacramentum. Non placuit hoc dictum ei, qui illum expurgavit, quare sic reposuit Quod si desit, qui perficiat, sequenti die sumatur ab alio in alia Missa Sacramentum. Citaturque Suarium, D. Thomam, Azorium, Sotum, & Toletum. Hinc ergo oritur quæstio, An opinio genuina authoris dicentis posse perfici die sequenti prædictam imperfectam Missam, sit probabilis, ac propterea immerito expuncta?

7. Certè non video, cur possit eodem die perfici, ut omnes concedimus, immo injungimus, etiam post sex, vel septem horas, ut contingeret, si defectus occurreret summo mane, & Sacerdos suppleturus inveniretur circa meridiem; non possit autem die immediate sequenti, illa enim mora in tali defectu non debet judicari longa, ita ut continuari eadem Missa non possit die sequenti. Sicut enim die Veneris Sancti consumptio tunc exhibita continuat Missam diei præcedentis, nam propterea dicitur complementum Sacrificij præteriti: ita in calu nostro, &c.

Dixi (possit) nam cum ex alia parte negandum non sit, eam esse aliquam notabilem moram, ideo rectè concedimus posse etiam sumi illud Sacramentum eodem die juxta dicta n. 3, vel alio die Missa, ut hic notamus, & sapienter docuit Sâ, dum sub disjunctione dixit, sequenti die perficiatur, vel sumatur.

8. Neque obstant illi Doctores in expurgato citati, ij enim præter Sotum, cum non disputent, an die sequenti perfici possit dicta Missa, sed solum absolute doceant illum posse, deficiente Sacerdote, Sacramentum: non sunt contra nos, sed solum sunt dicendi de nostra sententia mentionem non fecisse. Sotus vero in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. §. Circa hoc sine, si rectè intelligatur, pro nobis est.

An perfici prædictum Sacrum ab excommunicato, Suspendo, vel Irregulari possit.

Vbi,

Non Approbatur Emanuel Sâ.

1. Quæramus secundo, An si non adsit alius Sacerdos nisi Excommunicatus, vel Suspendus, vel Irregularis, possit hic, & juxta dicta debeat supplere prædictum Sacrificium.

De excommunicato S. Thomas 3. p. q. 83. art. 6. ad secundum, j. non posse pronunciare modo n. 2. De Suspendo & irregulari, non meminit; cum tamen id excommunicato concesserit, illis etiam propter patetatem rationis concessisse certum videtur. Sâ verò tum in genuina, tum in expurgata editione, v. Missa n. 83. sic habet. Tale Sacrificium imperfectum perficere potest, & secundum quod debet alius, etiam non jejunus, si desit jejunus, non autem excommunicatus, aut suspendus, aut Irregularis. Victorius ad eundem Sâ expurgatum illud addit Immo si solus adsit Sacerdos excommunicatus, aut irregularis, & ex Sacra omissione secuturum sit grave aliorum scandalum, perficere potest: alias non Azor ex Soto. Hæc ille.

10. Dico absolute, etiam nullo instante scandalo, Excommunicatum, Suspendum, Irregularem, si alius aptus Sacerdos non adsit cum debita cordis contritione, posse.

Ratio est, quia Sacrificium relinqui imperfectum essentialia, fuit semper æstimata res gravissima, omnibus modis sit succurrendum, talique impeditur in eo, quod præceptum de integritate interpretantur esse, divinum à Christo Domino latum, & in sa Ecclesia per censuras non videtur derogare immo potuisse. Ita S. Thom. 3. q. 83. artic. 6. ad primum alique passim.

11. Confirmatur primo, quia omnes cum S. Thoma concedunt Sacerdotem, si post consecrationem recordetur se esse excommunicatum suspensum, irregularem, debere Missam absolvi, ut non excommuni, idque propter perfectionem Sacrificij præsciendando ab omni alia causa: at idem prædictum calu nostro.

12. Confirmatur secundo, quia non est in Ecclesia, ut Sacerdos per prædictas censuras, & sterio Sacramentorum exclusus, ad illud in modis admittatur. Sic Sacerdos excommunicatus, immo Irregularis, immo Degradatus, & privetur ab Ecclesia jurisdictione, tamen potest administrare Sacramentum Pœnitentiæ existenti in articulo mortis, quando alius idoneus Confessor non adsit. Ita S. Sayr. Alterius, Suar. alique apud Bonac. de excomm. put. 2. q. 2. p. 2. §. 4. n. 3. & disp. 1. de cens. 3. p. 3. Sic in simili necessitate potest baptismum conferre. Suar. Laym. apud Bonac. loco. cit. de excomm. 2. §. 3. in simili Eucharistiam infirmo porrigere. Ita ibid. num. 8. Si ergo ab his non excludatur excommunicatus, quia non est credibile Ecclesiam velle in articulo mortis necessitate prohibere Sacerdotem, ita necesse datur in tanta necessitate cultus in calu nostro Sacrificij.

§. II. Quando Sacerdos meminit in Missa se esse in peccato mortali, non jejunum, excommunicatum, &c.

1. Docet secundo S. Thomas, Quando Sacerdos post consecrationem recordatur se non esse jejunum, aut esse in peccato mortali, aut excommunicatum, &c. debere, concepta contritione, Sacrificium perficere. Quando verò horum recordatur ante consecrationem, ait S. Thomas, tutius esse, Coninch vult esse necessarium si nondum inchoavit Canonem, & stare à Sacrificio, si id possit fieri sine scandalo, & diffamatione. Quod si Canon esset inceperat, quod facis indecens est relinquere Sacrificium, videtur talis si posse ipsum, concepta contritione, perficere, & in hoc saltem casu est vera sententia S. Thomæ, quantum sit tutius desistere: quo satis infirmatur non de præceptum, Sotus autem in 4. dist. 13. quest. 2. art. 1. Secundo arguitur, docet celebrantem, qui etiam in articulo Missæ recordatur se esse in peccato mortali, & non jejunus, & nulla censura prohibitus, posse, concepta contritione, pergere, etiam si sine scandalo possit desistere, quod videtur etiam innuere S. Thomas quia esse tutius desistere, maxime in casu, quo quis est excommunicatus, aut non jejunus. Coninch tamen docet benefacturum eum, qui in dicto casu, Missam relinqueret, quando aliud non sequeretur incommodum. Virique probabiliter, quorum fundamenta, ut adhuc pertinentia vide in nostro Opusculo de Excommunicatione c. 1. §. 6. n. 34. & 15. juncto c. 2. §. 8. n. 33.

§. III. Quando Calix, vel Hostia veniat, vel sit inficitur.

1. Docet tertio quando aliquod animal, vel res aliqua, quæ Calicem inficere aliqua ratione possit, ante consecrationem in eum incidit, Visum est tendendum esse in Piscinam, & abluto calice, aliud Vinum cum aqua esse imponendum, ac saltem merite diffundendum, consecrandum, sacrificiumque perficiendum.

2. Quod si simile quid contigerit post consecrationem.